

EPITHALAMION
IN SACRVM

NVPTIALE NOBILISSIMO ET
STRENI VIRI, DOCTRINA, VIRE

tute, et Dignitate præstantis D. ALBERTI

à GLOBEN, Domini in Pochlowitz, &c. Imperatoris
Maiestatis in Valle Ioachimica, & in arce Cubie
tensi Capitanei, nec non eorum, qui sunt
Equestris ordinis eiusdem
districtus præfecti
ordinarij

SPONSI:

ET NOBILIS AC HONESTISSIMÆ

VIRGINIS MARGARETHÆ SECKIN, &c.

SPONSÆ.

AVTORE

M. ANDREA ROETELIO SCHOLAE
Slaccounaldensis Governatore.



HVIC ANTEPOSITVM EST

CARMEN ACROSTICHON, IN
Honorem eorundem sponsorum,
conscriptum à

IONA LVCIFERO

Ecclesie Egranæ ministro.

285

C
A
B
R
V
D
G
O
E
S
O
S
S
E
T
A
G



88
CARMEN ACROSTICHON

Ambrosias ornato comas nunc pulcher Apollo

Laurigerasq; sacro nunc age monte Deas.

Belle percurrant alternas pectine chordas

Et dent leticiae carmina leta nouæ.

Rursus conscendit Sponsa cum Virgine Sponsus

Templum Vir præstans Nobilitate sacrum.

Vndiq; nunc toto pellantur nubila cælo,

Sponsis ut leto rideat ore dies.

Dum precibus supplex sic sacrum Numen adoro,

En cœpit solito clarior ire dies.

Gloria magna Deum Phœbus descendit Olympo,

Lætanti cingunt Laurea ferta caput.

Ordine ducebat longo grata agmina **M V S A S**,

Blandas & doctas ex Helicone Deas.

Extemplo subitus mea pectora concutit horror,

Nec poteram, lingua deficiente, loqui.

Sed **DEVS** attonito dextram mihi iungere dextræ

Porrigit, & placidos incipit ore sonos.

Omni mihi quid supplex tot uerba precantia fundis.

Nunc memori uerbum mente repone meum.

Sponsus si iuuenis sit Martis castra secutus,

Virtutis pretium fortia facta darent.

Sed studij consors nostri, est mea signa secutus,

Et coluit nostrum semper honore chorum.

Tandem ubi maturos feliciter attigit annos,

Mens casto Veneris concipit igne faces.

Aalma Venus placidis non sic inuisa Camœnis,

Rumpant ut castum legitimumq; thorum.

Gratantur Veneri, quæ casto gaudet amore,

Atq; uni tantum dedita casta thoro est.

I ij

Rumpunt

Rumpunt Aonides Venere[m] quae turpiter errat,
Et gaudet cunctum prompta subire thorum.
Talis amor nunquam uenit haec in pectora, sed quem
Approbat inspirans cordibus ipse DEVS.

Postquam est ingressus sic prima cubilia lecti,
Hesit & in socio dulcis amica thoro.
Ilius in gremio nomen sortitus amicum,
Laudata & multa prole, parentis, habet.
In terris mulcet pars moesti pectora patris,
Pars ornans matrem caelica castra tenet.
Parca manus etenim tanta inter gaudia matri
Inijcit, & mortis fata subire facit.

Sublata media lecti sic parte iugalis,
Acris peruasit pectora tota dolor.
Cernere tunc licuit quanto flagrarit amore
Coniugis, ut fleret tristia fata domus.
Illachrymans heu quot suspiria tristia duxit,

Fletu praelargo lumina tota rigans,
Ingentem uolui per sepe leuare dolorem
Leticia digna coniugioq; nouo.
Ilius haerebat cordi sed uulnus adactum
Altè, quod gratum respuit officium.

Sed longo elapso nunc tempore, MARGARIS illa
Praestans arridet, pulchraq; corda tenet.
Ornatum pectus pulchra est uirtute puellae.
Nullus & in toto pectore neuus inest.
Sunt illi generis pulcherrima stemmata, nomen
Altum, Virtute & nobilitata Domus.

Acritter haerentem depellet corde dolorem,
Molli complectens pectora grata manu.
Blanda, uiri pectus mulcens, & basia dulcis
Os ori inngens officiosa dabit.

Verum

V erum quid multis refero nunc singula, quæ mox
I n lucem claram tempora læta ferent.
R es ut grata mihi sic pulchris grata Camœnis
T orus Musarum gaudet & ipse chorus.
V otis & sequitur felicia cœpta secundis,
T ædæ sint faustæ coniugijq; thorus.
E t quia nunc reuocant grauiora negotia Musas,

E n tibi Rœtelij carmina docta tui,
T estantur uerum candorem uerba cohortis

N ostræ, cultorum quæ solet esse memor.
O re suo has uoces edit crinitus Apollo,
B landas, surripiens agmina grata procul.
I ntendo tristem clamans ad sydera uultum,
L inquitis? at nullus conspiciendus erat.
I nspicio gratum librum, quem reddidit, offerre
T unc sese Andree litera Rœtelij,
A gnoui gratamq; manum gemmasq; fideles
T otaq; leticiæ carmina plena nouæ.
E n ALBERTE tibi gratatur pulcher Apollo,

P iëridesq; canunt carmina grata thoro.
R es tua fortunam nunc est sortita secundam
A spirat lædis aura secunda tuis.
E t tibi nunc uenient melioris tempora uitæ,
S ubstituentq; thoro gaudia grata tuo.
T u rursus nomen nunc multa prole parentis
A ccipiens, tota parte beatus eris.
N oster Amor iussit tibi SPONSO hoc scribere carmen.
T u rude sit quamuis consule quæso bon.
E t quia nunc desunt uires mihi, grata uoluntas
S it tibi, nam nulli displicet illa. Vale.

I. L.

v. ij

EPIC.

EPITHALAMION.



TANNIFERAE VASTIS PATRIAE

dum uersor in aruis,

Cum nitido medius fulget ab axe dies.

Hic nemus Anconam uiridans ubi spectat ad urbem,

Vicinisq; uagus defluit Egra iugis.

Hoc nemus ut subeo, secessu solus & erro,

Solertis meditans carmina, mentis opus,

Ecce mihi uideor cantus audire sonoros,

Et simul à dextra dat uaga penna sonum,

Qualibus accipiter sulcat stridoribus auras,

Dilectam Veneris dum celer urget auem.

Insonuit dulcis concentus in aëre uasto,

Ictum blandicijs insonuitq; nemus.

Miror, & arrectas dum præbeo uocibus aures,

Diuûm sacrorum mox reor esse melos.

Ecce nouem septus forma præstante puellis,

Nescio quis uultum constitit ante meum?

Cuncta DEO similis, uultus, humerosq; decoros,

Qui certare queat cum Ioue splendor erat.

Corde chelyn, leua pharetram, dextraq; sagittas:

Ast humeris arcum dulce gerebat onus.

Laurea flauentes decorabantserta capillos,

Vernabat roseo mollis in ore decor.

At qualis fuerit facies, quæ forma puellis?

Vix mea nunc tenuis dicere Musa potest.

Flauentes poterant auro certare capilli,

Oraq; puniceas exuperare rosas.

Sideribus nitidi poterant contendere ocelli,

Candida parrhasias uincere colla niues.

Omnibus ex humeris Cytharæ, decor omnibus idem

Omnibus ex auro fulgida uestis erat.

Tempora cingebat uario de flore corolla,

Atq; ibat nudo quæq; uidenda sine.

LUX

Lux fulget quacumq; uenit chorus iste uerendus.
 Omnis & ambrosio spirat odore locus.
 Obstupro, trepidatq; mihi formidine pectus.
 Fraxineas ut cum uentilat aura comas.
 Ut graciles Boreæ flatu quassantur aristæ.
 Ut summa imbrifero stringitur unda noto.
 At dum me phœbus redimitus tempora lauro
 Conspicit, entales fundit ab ore sonos:
 Siste metus, nostris uir non indigne Camœnis.
 Ac memori uoces concipe mente meas.
 Sum Deus, atq; Iouis soboles diuina tonantis.
 Nomine me Phœbum docta caterua uocat.
 Quasq; uides mecum forma præstante puellas.
 Sunt Musæ Aoniæ numina casta chori.
 Liquimus Aonium montem, quem Phocidos amne
 Bellerophonæus nobilitauit equus.
 Anconæq; nemus uicinum, aduenimus urbi.
 Qua fluit herbosus Egra sonorus aquis.
 Ut pia testemur non irrita uota fuisse
 Nobilis ALBERTI, qui sacra nostra colit.
 Dum repetit licite socialia fœdera tædæ.
 Et sociam uitæ iungit amore sibi.
 Testis eris uerus, Sponso narrabis & ipsi
 Has oras nostra nunc resonasse chely.
 Quæ chorus hic celebrat uiuit dum scripta leguntur
 Nomen & à sera posteritate tenet.
 Onimium felix Sponsus multumq; beatus,
 Omina fausta thori cui canit iste chorus.
 Conuehit huic plenis successus Diua quadrigis
 Antia, & huic floret prole referta domus.
 Tu quoq; Castaliæ cum sis cupidissimus undæ,
 Et tua sint nostro carmina grata Choro:
 Huic uolo grateris Sponso, & noua carmina pangat.
 Et tanto exoptes prospera cuncta uiro.

Tristis

Tristia cui quondam cecinisti carmina mæsto,
Huic cane iam læti carmina læta thori.
Officium pietas hoc te sibi poscit, & ipse,
Hoc poscit Sponsus dignus honore coli.
Nos tibi nos dabimus ualidas in carmina uires,
Hoc opus ut præstes, quod modò mando tibi.
Ne dubita ipsa tuis diuina potentia rebus
Consulet, augurij sunt rata uerba mei.
Dixit, & æriæ sese chorus omnis in auras
Sustulit, ex oculis proripuitq; meis.
Hæc in secessu nemoris spectacula uidi,
Hæc retulit Phœbus uerba diserta mihi.
Imparibus quæ clausa modis, celeberrime SPONSE,
Arbitrio mitto qualiacunq; tuo.
Sic DEVS arcani qui sanxit fœdus amoris,
Vnanimi seruet uos in amore duos.
Sic Vxor pulchra faciat te prole parentem,
Sic stabili uester fœdere perstet amor.
Accipe quæ crassa cecini figmenta camœna,
SPONSE nec offenso nobilis ore lege.
Non hæc ambitio, leuis hæc non carmina fucus,
Sed tibi sincerus scribere iussit amor.
Scis benè cœlestis quæ sit sapientia patris,
Vt duo sint stabili corda ligata fide.
Namq; duos primum lecto sociauit in uno,
Et licito unanimes iussit amore frui.
Hic quoq; casta pijs intendit lumina sponsis,
Et finit illorum pondus habere preces.
Ite putres Monachi, quibus hæc pia fœdera sordent,
Coniugibus castis gaudet adesse DEVS.
Quid miseri ignauum nugis traducitis æuum?
Hæc est propitio grata palæstra DEO.
Quis genus hoc uitæ, quæso, sanciuit inertis
Quod colis & sequeris, dic mihi rasa cohors?

Quod

8
Quod DEVS instituit, non est contemnere tutum,
Credere mihi sapere est iussa tenere DEI.
Coniugibus DEVS ipse pijs benedicit, & illis
Coniugij mitis tædia cuncta leuat.
Aspirat placidè felicia fata maritis,
Eq; suæ confert fonte salutis opem.
Coniugij seruat fœcundo fœdera nexu,
Ut series longæ posteritatis eat.
Adfluit ipse simul dapibus cumulatq; benignè
Fercula contiguas inter adaucta manus.
Perlege Iessei sanctissima carmina uatis,
Illa docent quæ sint inde petenda bona?
Nempe tibi ampla Deum semper fortuna timentis
Adfluet, & cornu diuite cuncta feret.
Non tibi, non deerunt communis commoda uitæ,
Et licitè partis ipse fruere bonis.
Æmula frugiferis certabit uitibus uxor,
Augebitq; tuam prole beata domum.
Ac pinguis ueluti succrescit ramus oliuæ,
Ante tuos ludent pignora parua pedes.
Ecce bonis tantis ornatur quisq; maritus,
Qui timet, & Dominum cordis honore colit.
Te DEVS ex Sion sic fortunabit, & omne
Quod facies dexter diriget autor opus.
Cuncta tibi cedent credenti sidere fausto,
Ac deges uitæ tempora longa tuæ:
Ut uideas Solymæ præstantia commoda sacræ,
Atq; auctam longa posteritate domum.
Optatisq; bonis, ac blanda pace fruaris,
Huius dum uitæ tempora certa trahis.
Hæc ALBERTE tuæ subeant solatia menti,
Dum repetis casti fœdera sancta thori.
Hæc promissa tibi grator bona pectore toto,
Te puto felicem MARGARIN atq; tuam.

K

Nam

Nam quia saluifici patefactum lumine Verbi
Agnoscis docili mente timesq; DEVM.
Laudibus & celebras, & eundem castus adoras,
Coniugijq; pij uincula sancta colis.
Tecum habitat pridem DEVS & commercia iungit,
Custoditq; sua singula membra domus.
Sed tibi Sponsa decens celebris prius inclyta Sponsi,
Quo queo, naturæ carmine dona loquar.
Vnanimi uere est dignus, qui fœdere tecum
Coniunctus socios exigat usq; dies.
Nobilibus namq; est à stirpe parentibus ortus,
Et numerat longæ nobilitatis aaos:
Aurea diuini ueneratur dogmata Verbi,
Quoq; potest unquam promouet illa modo.
Artibus excultus generosas diligit artes,
Quas odio uulgus nobilitatis habet.
Dulcibus acceptum fert Musis quicquid honoris,
Addidit ad prisca stemmata clara domus.
Ac uelut ingenij peperit sibi laude fauorem,
Ingenijs placida sic quoq; mente fauet.
Miratur doctos & suscipit ipse Poëtas,
Et magni uatum carmina culta facit.
Vtq; bonas mitis studijs florentibus artes
Prouehit, æternum prouenit unde decus.
Iurâq; legitimis à legibus orta tuetur,
Quæ didicit quondam non sine laude frequens:
Sic quoq; ciuilibus mores ornantia uitæ
Coniugia ut legum uincula sancta, probat.
Nobilibus multis nunc præsidet unus in arce,
Quam stringit liquidis cœrulus Egra uadis.
Est simul AERISERÆ uallis præfectus in urbe,
Quæ iacet ad fines terra Bohæma tuos.
Hic ubi MATTHESIVS doctrina clarus & arte,
Tradidit integrè Dogma salubre DEI.

Vir celebris scriptis, mira notusq; Sarepta,
 Vix habuit similem terra Bohēna uirum.
 Iusticiæ obseruans populos ratione gubernat,
 Publicaq; ingenua comoda mente iuuat.
 Nobilis ingenio uerè est, & nobilis arte,
 Nobilis & generis nobile nomen habet.
 Cedite degeneres, qui nobile nomen habetis,
 Sed nihil in factis nobilitatis inest.
 Discite ab hoc, uerè quis possit nobilis esse?
 Exemplum solidæ nobilitatis erit.
 Non genus, & proauis, nec opes, nec census auorum,
 Ars, genus, & uirtus nobilitare solent.
 Ingenium genus exornat, mens stemmata gentis,
 Nobilis est quisquis nobilitanda facit.
 Est aliquid, fateor, generoso sanguine nasci,
 Magnaq; de patria nomina ferre domo.
 Maius at est propria uirtute extendere famam
 Aeternaq; genus laude fouere suum.
 Quem genus & uirtus commendant, ille beatus,
 Ille comes Diuis proximus esse potest.
 Sed mihi Musa pares oneri negat inuida uires,
 Poculaq; Aoniæ rara ministrat aquæ.
 Nam mihi uix humili repens Heliconis in umbra
 Exiguum tribuit parca Thalia sonum.
 Si mihi Nasonis, si uatis uena Maronis
 Suppeteret, summi dos preciosa DEI.
 Debita tunc multo canerem præconia uersu,
 Quæ meruit uirtus ingeniosæ uiri.
 Hunc igitur grator tibi Sponsa decora maritum,
 Esse uiro tali iure superba potes.
 Nobilior potes hoc Sponso Margrita uideri,
 Auro ut nobilior fulgida gemma solet.
 Tu quoq; SPONSE tuam placidus complectere nuptam,
 Quæ laudem ueræ Nobilitatis habet.

K ij

Nam

Nam quid ad hoc nitidi poscas decus amplius oris?
 Aut quid ab hoc toto corpore laudis abest?
 Quæ pietas animi, specimen quàm dulce pudoris,
 Ipsius è uultus integritate nitet?
 Quicquid in ingenua thalami consorte probatur
 Hæc habet, ô tanto digna marita uiro.
 Flamma igitur flagrans animo tibi surgat amoris
 Suscipias Sponsam qua, pie Sponse, tuam.
 Hæc tædis est digna tuis, tu dignus et huius
 Non alij iungi dignus uterq; fuit.
 Ergò uiue tua castus cum coniuge coniunx,
 Sisq; uir in nuptam tu pius, illa uirum.
 Mæstus eras, ubi prima fuit tibi mortua coniunx,
 Ingens amissæ coniugis ardor erat.
 O quoties largo rorarunt lumina fletu,
 Et sonuit uitæ longa querela tuæ.
 Inq; thoro uiduo traxisti tædia uitæ,
 Omnia tunc luctu plena fære tuo.
 Hoc DEVS ut uidit, similem tibi largiar, inquit,
 Quæ tibi mærenti mite leuamen erit.
 Rem probat euentus: nunc altera nobilis uxor
 Ingreditur thalamos, optime SPONSE, tuos.
 Est aliud nomen, sed mens generosa prioris,
 Rebus conueniens utraq; nomen habet.
 Ceu fuit illa decus casti CATHARINA pudoris,
 Flagrauitq; sui semper amore uiri:
 Sic constante suum te complectetur amore
 MARGARIS, et uitæ dulce iuuamen erit.
 Coniugis ut decuit mortem luxisse prioris:
 (Ceu uoluit uester non simulatus amor)
 Sic decet ut concessa nouæ noua gaudia nuptæ
 Causa percipias: Sic pia fata uolunt.
 Nobilis ô coniunx gemma læteris adeptæ,
 Et toto grates dicito corde DEO.

Vnio sit cordi coniunx tibi nobilis uni,
 Sit requies cordis sitq; medela tui.
M A R G A R I, sit cordi tibi Sponsus nobilis uni,
 Alterum & alterius torreat unus amor.
 Margaritis ut tristi dat sana leuamina cordi,
 Sic etiam Domino sis medicina tuo.
 Ducite concordem placidum sine litibus æuum,
 Et uestram dulci prole replete domum.
 Ut pater Egra suis arrectis auribus hausit
 Leticie causam fœdera pacta thori.
 Cum plausu dixit: felix hoc sponsa marito,
 Hac etiam felix coniuge sponsus erit.
 Felices animi, uel supra uota beati,
 Vnius amor quos nunc iungit & una fides.
 Margarit **ALBERTVS**, ceu se, reuerenter habebit,
M A R G A R I S Alberto mire leuamen erit.
 Præcipue felix hoc patria præside terra,
 Ex hoc, ceu riuo, commoda multa fluunt.
 Nam pietatis amans diuini oracula uerbi
 Seruari in populo pura sonante studet.
 Castus amat Musas, & doctas prouehit artes,
 Musarumq; pijs gaudet adesse choris.
 Iustitie custos, ueri sincerus amator,
 Consilio meditans res moderante gerit.
 Utq; illi grauitas parit & prudentia laudem,
 Coniugij castus sic decus addit amor.
 Huic **D E V S**, incolumi longæ da tempora uitæ,
 Prouehat ut uerbi dogmata sancta tui.
 Dixit, & irriguum rursus se mergit in amnem,
 Et sua cœruleis antra reuisit equis.
 Sed quid ego longis insuauis uersibus utor?
 Cum placeat modico Musa ligata pede.
 Quid tua Sponsa moror, quid tardo gaudia Sponse?
 Gaudia quæ uobis lux hodierna parit.

Iam pridem uiridi iuuenilia tempora myrto
Vinctus hymen comptas iubilat ante fores.
Tympana iam pulsu crepitant percussa sonoro,
Et caua dant celsis turribus æra sonum.
Templa patent uobis uiuo resonantia uerbo,
Quod rata diuino fœdera iure facit.
I pede felici procerum deductus aceruo,
Vos DEVS æterno neſtat amore duos.
Ecce chorus nunc lætus adest tibi Musicus omnis,
Alternisq; sonat talia uerba modis:
Sit tibi coniugium felix ALBERTE, tuusq;
Lacte fluat niuco, melle, meroq; thorus.
Sponse ſenis uiuas in longos Neſtoris annos,
Sponſa Sibyllinæ ſecula uatis agas.
Si mihi cantanti fas eſſet adeſſe cohorti,
Vox magè ſtentorea uoce canora foret.
Sed nunc opto tuis abſens fauſta omina tædis,
Et tales imo pectore fundo preces:
Sancte DEVS ſancti ſociati fœderis autor,
Qui geminos una uiuere carne iubes.
Quiq; thori fœdus conſeruas tempus in omne,
Huc ades, & thalami uincula neſte noui.
Nobilis ALBERTI connubia ſtantis ad aram,
Aſſere mandato fœdere facta tuo.
Euam qui parili iunxiſti fœdere Adamo,
Hos etiam ſtabili fœdere iunge duos.
Fiat ut unus amor, mens unaq; corpus & unum,
Id tua quod fieri pagina ſancta iubet.
CHRISTE Dei fili, thalami qui iura probaſti,
Dum facis ex aqueo dulce liquore merum.
Huc ades ad ſanctam dum uirgo ducitur aram,
ALBERTO coniunx uirgo futura p.o.
Qui primus paranymphus Adæ, pie CHRISTE, fuiſti,
ALBERTO adducas MARGARIN ipſe ſuam.

Castijico

Castifico flatu sociatas imbue mentes,
Pectora ut illorum mutuus urat amor.
Hic in utrisq; manens geminos coniungat in unum,
Quò pia sint CHRISTI membra ligante duo.
Nulla decus castum dissoluat lingua proterua,
Nec fortuna pios turbet iniqua lares.
Aurea sed uiuant cumeæ secula uatis,
Vnanimiq; pium fœdus amore colant.
Pignora prognerent socij dulcissima lecti,
Mutuus unde thori crescit adauctus amor.
Crescat & amborum sic mutuus ardor in horis,
Crescit ut adiecto robore flamma rogi.
Donec canities hos uel ueneranda senectus
Occupet, unanimes perstet amore thorus.
Ecce meis uotis excelsi rector olympi
Annuit, & spirat lenior aura polo.

M. Andrea Rætelij.

DETRASTICHON EIVSDEM.

MARGARIN Albertus generosus ducit honestam.
Vna nocte duo corpora CHRISTE fide.
Hic quia te casto ueneratur pectore castum.
Hæc quia te puramente fideq; colit.

ALIVD EIVSDEM.

Silicet ut fuluo gemma est speciosior auro,
Atq; in eo maius pondus habere solet.
Sic MARGRITA tuo generoso Sponsa marito,
Non secus ac auro lucida gemma nites.

DISTICHON CONTINENS

NUMERVM ET TEMPVS ANNI.

Orgla festa Vigent Dat Vr Vt generosa benigno,
Margaris ALberto: Sinc pla Fata thoro.

FINIS & Deo sit Gloria.

CALAMITATIS

PATIENTIA



MEDICINA.

*Nobile vincendi genus est Patientia, vincit
Qui patitur, si vis uincere, disce pati.*

CYRIÆ REGNICIANÆ

VARISCORVM, EX OFFI-

cina typographica Mat-

thæi Pfeilschmidt.

ANNO SALVTIFERI PARTVS

M. D. LXXI.

!

aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
ph lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver. hic homo
di filius erat. Erat aut e' in
heres de lege aliter. Me
qs erat in. Me. Me. Me.
et maria. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
Et cu' e' in. Me. Me. Me. Me.
eu. et misit. Me. Me. Me. Me.
miser q' h'nt. Me. Me. Me. Me.
ultra. **ex.** **E**rat
seru e' in. Me. Me. Me. Me.
erat qd e' in. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
me adpysate. Me. Me. Me. Me.